

titur stansque apud lectum, premissa salutatione, que et qualis fuerit infirmitas, sciscitatur. Cumque dictum inspicerem et quis ipse vel unde esset inquirerem, respondit se fuisse Iudeum, sed modo Cristianum et variis infirmitatum consiliis premunitum. Ad cuius vocem mens mea quodammodo reficitur, morbi species exprimitur, cuius ad curandum se firmiter habere scientiam protestatur. Breviter dictus advena mei cura suscipitur membrorumque debilitas inspicitur, que per ipsum Dei et sanctissimi Adalberti^a gratia medicamentis et balneis corriguntur. Dicta itaque membrorum meorum miraculosa recuperatio sancto Adalberto post Deum ascribitur, cui etiam, quod de me sequitur meoque iudicio maius miraculum creditur, ascribatur. Notandum igitur, quod, infirmitatis mee tedio fugiente necnon consueta pedum potentia redeunte, ego propter voti memoriam et precipue ob sanctissimi Adalberti reverentiam versus Egmondam studeo tendere et illic in sanctissimi oratorio unum sustentationis mee baculum presentare. Quo postmodum cum quibusdam michi specialibus super beneficii impetratione duxi collationem facere necnon ut mihi subveniant exorare ad consequendum habitum. Quorum consilio ad conventum proceditur, qui per Dei gratiam de facili informatur. Ecce ergo maius^b miraculum! quia totus simul conventus ad domnum^c abbatem Theodricum nomine¹ studet procedere et ipsum simpliciter absque etiam unius extranei adminiculo ad susceptionem pauperis modiceque nationis, mei videlicet, informare. Qui utique non dedignabatur nobilissimo ore dicere, ipsum me tam libenter in monachum et in fratrem suscipere sicut aliquem, qui advenerat et pro me preces quasi specialissimas effundebat. Sic itaque beatus Adalbertus tria in me miracula Dei adiutorio exercuit, quoniam membra mea sanitati reddidit meque mundo, qui vere in malo positus est², eripuit, me insuper indignum et pauperem habitu et munere valentibus sociavit. Quis³ nego cessare, sed eum sine fine beare.

a) 'Adelberti' Hs. b) Verbessert aus 'minus' Hs. c) 'dnm' Hs.

1) Abt Theoderich Screvel leitete Egmond 1319—1335. 2) 1. Joh. 5, 19: 'mundus totus in maligno positus est'. 3) 'Quis' wohl für 'Quibus', 'Pro quibus': Um welcher (drei Wunder) willen ich mich weigere (in seiner Seligpreisung) nachzulassen, will ihn vielmehr ohne Ende selig preisen.